

Annotatio.

Ingeniosissima est utraque, vel una potius, sed novo eoque præclarissimo invento exornata Steganographia, ideoque verè Hecatombe digna, ob facilitatem, quâ disci ac doceri, ob brevitatem, quâ in praxin redigi à quolibet in qualibet lingua potest, atque ob immunitatem ab omni vel minima latentis sub scripta Epistola secreti suspicione. Paradigma continetur in Epilogo; secretum, quod in illo indicat, latet in interpunctionibus, abbreviaturis, & litteris caudatis. Diu deliberavi, an expediret eam publici juris facere; est enim meo iudicio dignissima, qua solis Regibus atque Principibus proponatur. Vicit tandem desiderium ac studium, Auctoris ingeniosissimi ingenium, ac erga me totamque Rempublicam Litterariam affectum, Orbi Litterato propalandi; quod facio.



EPILOGUS LIBRI OCTAVI.

Prodiit præteritis nundinis Autumnalibus Francofurtensibus Anni 1665. Illustrissimi ac Reverendissimi Dn. Joannis Caramuelis Apparatus Philosophicus, quatuor Libris distinctus. In horum tertio Libro exponitur Ciphrica (ut ipse appellat) id est, nova quaedam & valde curiosa Paragraphia, mentis arcana secretissimâ methodo edisserens. In quarto verò Metaciphrica traditur, quæ, ut ipse ait, est quaedam eminentis & mirabilis Ciphrica, quæ ita occultas litteras obtegit, ut nemo illas non solum possit legere, sed neque scire se non posse, quoniam qui artis ignarus est, & arte illâ scriptam Epistolam legit, in nullam suspensionem venit latentis sub ipsa secreti. Et sunt revera ingeniosa omnia, ac jucunda, quæ utroque Libro traduntur; sed, ut Lector ipse deprehendet, pauca, aut vix ullum artificium periculo caret, ne legens in suspensionem deveniat arcani sensus sub scripto latentis. Certè nullum est, quod præcedens Kinnerianum artificium adæquet, nedum superet. Lege, Lector, & judica. Ego ad alia progredior.

LIBER